



POEMA SACRVM.

In diem Purificationis, Augustissimæ  
Dei Genitricis Mariæ.

A D

N O B I L E S E T  
OPTIMAE SPEI ADOLE-  
SCENTVLOS, IOANNEM, MARTI-  
NVM, PETRVM, NICOLAVM, FRAN-  
CISCVM ET IOANNEM LVDO-  
VICVM REIFF, fratres Ger-  
manos, &c. scriptum.

AVTORE

PETRO CURDINO BOLLENSI,  
*ex florentissima Ditione Friburgensi*  
*apud Heluetios.*



F R I B U R G I N V I T H O N V M ex Officina  
A B R A H A M I G E M P E R L I N I .

\* M. D. XCVII. \*

Concordia, Res firmissima.



Insignia Gentilitia Patritiorū Reiff,  
apud Friburgenses in  
Heluetijs.



NOBILIBVS, LIBE-  
RALI INGENIO, ET EXIMIAE IN-  
dolis adolescentulis, IOANNI, MARTINO, PE-  
TRO, NICOLAO, FRANCISCO, ET IO-  
ANNI LUDOVICO REIFF, Nobilissimi ac  
Clarissimi Viri CHRISTOPHORI REIFF,  
in Midde & Tornier, &c. Domini, & celeberrimæ  
Vrbis FRIBVRGENSIS apud NVITHO-  
NES Senatoris, &c. FILIIS  
S. D.

**A**ccipite, NOBILES ADOLESCENTVLI, poëma  
quoddam, in Diuinæ Matris & Augustissimæ Virginis MA-  
RIAÆ qualemq[ue] honorem, à me non ita pridem, ea qua  
potuit diligentia, confectum, nunc vero Vobis, multis ijsq[ue] in-  
flissimis de causis consecratum. Primum enim exploratè co-  
gnitum habens, Vos in hac tam tenera ætate, ad rectissimæ  
studia atq[ue] optimas artes, omni contentione incumbere, nefas  
esse putavi, tantæ spei Pueros vel non exornare, vel saltēm, ne de hac quicquam  
aliquando remittant, admonere. Accedit incredibilis illa, & propè singularis be-  
nevolentia humanitasq[ue], qua me immitterent, Nobilissimus simul & Clarissimus  
Parens Vester CHRISTOPHORVS REIFF inclytæ huius & laudatissimæ  
Reip. FRIBVRGENSIS Senator prudentissimus, non complectitur modo, sed  
alterum iam etiam annum domisue ita liberaliter alit, ut non videam, quibus tan-  
dem modis, tanti mihi præstis beneficijs respondere possem. Ut ergo virium  
mearum non sit, meritorum magnitudinem compensare, pro virili tamen enitar, vt  
& tam prolixæ, tamq[ue] beneficæ voluntatis, qua me clientem suum talis tantusq[ue]  
Vir prosequitur, memoriam conseruem sempiternam, & de vobis litterarum stu-  
dioffissimis Adolescentulis, quibus ad hæc humaniora studia datus sum adiutor, be-  
ne merendi occasionem nullam prætermittam. Et sicut cum pietate vestra, qua erga

# EPISTOLA NVNCVPATORIA.

Deiparam Virginem flagratis summa, Epos non prorsus, ut spero, indignum, nuperime conscriptum a me, Patronorum quorundam suauis edendum videretur, Vobis id dicatum volui, ut vel hoc tenui munusculo, quo in Vos magna cuiusdam expectationis & paternae virtutis, pulcherrimarumq; rerum amantissimos, animo essem declararem, omnibusq; facherem testatum. Vestrum erit, exiguum hunc ingenij foetum, hunc primum conatum meum, quem DEO & sanctissimae VIRGINI gratissimum fuisse non dubito, Vobis quoq; iucundissimum accidisse ostendere. Quod si feceritis, nouo me rursus vobis beneficio obligaueritis. Valete, LECTISSIMI ADOLESCENTVLI, & meaq; studia Parenti vestro Viro optimo & humanissimo commendate. FRIBVRGII HELVETIORVM Calend. Februarij Anno M. D. XXCVII.

V.

Addictiss.

PETRVS CVDINVS.

POEMA

POEMA PANEGRYRICVM,

PETRI CURDINI BOLLENSIS HELVETII.

In Diem Purificationis incomparabilis Virginis MARIAE  
Deiparae sacrum ac solennem.



N iterum, fulgente die, noua gloria  
magnæ (clyta Virtus  
Virginis extollenda venit, venit in-  
Illius, ad cœlos semp dignissima ferri.  
Virgo fuit, simul ecce fuit pulcherrima Mater,  
Quæ summū Dominū, magno qui sydera nutu  
Compleat, & immensi lætas tenet orbis habenas,  
Plena Dei afflatu, gelidas produxit in auras,  
Vnde salus hominum generi caligine septo  
Nata fuit, cunctisq; boni fons aureus ortus.

Quare Diua, tuæ, Genitrix, præconia laudis  
Ingrediar, quæ vix audent supera alta tenentes  
Cœlitum tentare chori, tua namq; verentur  
Dignè fataloqui, siquidem sunt omnia tanta,  
Ut merito nequeant tolli super æthera cantu.  
Ergo diunos tibi quos celebramus honores,  
Dicere nunc animus gestit, clarissima Virgo.  
Nam te, Diua, colit semper, te, Diua, frequentat,  
Nostra cohors, sacra tibi pro pietate dicata.

Quin quoque præsentis solennia festa diei,  
Antiquosq; canam ritus, nam lumina passim  
In sacris accensa locis, Templisq; piorum,  
Vndique discutiunt obscuras luce tenebras,

A ij Etsan-

Et sanctas nitidis replent splendoribus ædes.

O qualis pietas animorum : ô quantus auitæ  
Relligionis amor cunctos ex ordine dicit:  
Ecquid enim cerata replent funalia palmas :  
Quiduè faces signant fulgenti luce coruscæ:  
Et curigniuomis rutilant altaria flammis,  
Atq; adeò fumant cœlo minitantia tecta:  
Hæc in honore tuo sunt omnia, maxima Virgo,  
Hæc tibi pro veteriveræ pietatis amore  
Omnia debet, quid enim tua plurima Virtus,  
Et puræ mentis nitor, & flos ille suavis  
Virginitas tibi iure negat : nihil illa meretur  
Omnia, nam signum illæsi dat flamma pudoris.  
Sic quoq; tu flammā præbes non qualis in orbe  
Sed quā de summo demissā verticis axe, (est,  
Fudit in electum cœlestis gratia corpus.  
Proinde nec immerito cuncti iuuenesq; senesq;  
Ad cœlos castas properant effundere voces,  
Quos ritus celebrare sacros, & lumina sacra  
In templis gestare iuuat, testantia pulchrum  
Relligionis opus, diuini exemplar amoris.

O decus excellens : ô præclarissima Mater :  
Tu veluti clarum sydus splendore refuges,  
Lumineq; ætherei monstras fastigia cœli:  
Splēdida cera notat sanctissima claustra pudo-  
Et quē virgineum seruasti semper honorē. (ris,  
Ecquisenim dulcem nescit producere ceram,

Mellis.

Mellis apes auidas, & eas sine semine posse,  
Etsine concubitu, multam progignere prolem,

Nec minus, vt reliq<sup>s</sup> mos est post tēpora par-  
Diua Dei Genitrix, veterū p more parentū, C<sup>tus</sup>  
Arripiens dulcem Natum, sobolemq<sup>s</sup> Tonantis,  
Templa petit, sancti<sup>q</sup> capit mysteria verbi,  
Dona ferens aris, geminas ex more columbas,  
Indiga non horum: siquidē sine criminē Virgo  
Manserat, acteneri veluti rosa plena pudoris,  
Ast vt seruaret veteris pia dogmata legis,  
Id cōplebat opus, quo non tamē indiget vñquā,  
Cum tenebræ lucis nequeant augere nītorem.  
Nam velut illustris rapido qui voluitur ortu  
Phœbus in occasum, vario splendore resulget,  
Nec quicquam terrena valent super addere tāto  
Fulgori, vt capiat radios magis inde micantes,  
Haud aliter Regina potens stellantis Olympi,  
Chara Dei Genitrix, radijs fulgentibus ardet,  
Etrutilo splendore micat, micat inclyta Virgo,  
Immensa virtute Dei, qui lucis origo est,  
Et solem, stellasq<sup>s</sup> tenet, cœlumque profundum.

Hæc hæc(magna loquor)que sydere pulchrior  
Et nulla virtute caret, circūfluit omni, (omni est  
Legis adimplebat veteris consueta, pioque  
Tollebat de more recens in luminis auras  
Progenitum ad sacras ædes, Dominοq<sup>s</sup> potenti  
Sistebat, patriæ quām seruantissima legis.

Discite

Discite iustitiam moniti, & non spernere leges,  
Discite iustitiam, monitis insistite sacris,  
Etiussis verè sanctis parete Sionis.  
Exemplum Diuina parēs nunc omnibus offert,  
Sic Deus æterna quondam vos sede beabit.

Et tibi sancte Senex nulli pietate secunde,  
Cuinomen Simeon, cœlesti Numine plene,  
Quis tū sensus erat, qualisue in corde voluptas,  
Cum Puerum longo promissum tempore tādem  
Cernebas, hominū Regem superūmque potētem  
Cuius erat partus toties totiēsque petitus?  
Tunc tibi lætitiam, & verè noua gaudia pectus  
Demulsi se puto, felici sydere nato,  
Quo tua viderūt, sanctam, pia lumina, Prolem,  
Optatos, reor, amplexus dans, oscula læta  
Fixisti, simul illius perculsus amore.  
O te fœlicem nimium, nimiumque beatum!  
Nā fuit aspectus, vix q̄ fœlicior alter. (Mater

Nunc redeo ad Matrem, matrū quæ maxima  
Solaq̄ fœmineos inter castissima partus,  
Aceius laudes varias, pietatis amorem  
Virgineumq̄ decus, super aurea sydera tollo.  
Nam velut illustris utilus Sapphirus in auro  
Splēdet, in auratusq̄ magis magis inde nitescit,  
Haud secus alma Parēs, matres virtutis honore  
Virgineiç chorū reliquas supereminet omnes.  
Mortales benefacta loquor superantia vires,

O Geni-

O Genitrix, siquidem peperisti prima salutem  
Humano Generi læuis Phlegethontis in vndis  
Immerso, & tristi reparasti gaudia mundo.

O decus, ô magni Mater venerabilis ævo  
Nominis, æternoq; patris quæ Numine gaudes,  
Nos tueare precor, si fortè piacula nostra  
Offendant Regem, flectes prece Numinis iram,  
Et nos terrigenas vasta caligine cinctos,  
Luce tua illustrans, nigrantem disi;ce nubem:  
Fac quoque nos duris animos attollere rebus,  
Ferreç; sublimes superato ex hoste triumphos.  
Hic sine fine Leo rugit, sitiensqué cruento  
Deuorat ore animas æterna morte premendas:  
Ingreienda via est graibus subiecta periclis,  
Qua necat incautos Prædo crudelis eentes:  
Nec pcul hinc fluuius subitis exsurgit ab vndis,  
Illic turba frequens celeri rapiente procella  
Merguntur, portum nunquam visura quietum:  
Hos fugimus lapsus, & multa pericula rerum,  
Luce tua freti collustratisq; nitore,  
Imus & ad placidæ tandem vestigia pacis.  
Quod supest, ô Diua Parens, ô innuba Virgo,  
Ipse ego te, nomenq; tuum, laudesq; perennes,  
Perpetuo tollam clarum super æthera cantu.

ODE SAPPHICA,  
De eadem Sacrosancta Virgine MARIA.  
Per PETRVM CVRDINVM BOLLENS EM.



Oelitum clarum iubar, o Virago,  
Virginum splendor, Cenitrix Tonantis,  
Hac die laudum resonant tuarum  
Omnia plena.

Tetuum Natum, Genitrix, in aris,  
More Maiorum posuisse, sanctis  
Laudibus grati memorant Nepotes  
Omne per aenum.

O Decus cœli nitidum Quiritum :  
Pulchrior Luna, nitidisq; stellis,  
Quid canam de te, modulari plectro  
Virgo sacrata?

Omnis humani Generis repertrix  
Perditi primi maculis Parentis,  
Quis tuos posset modulis honores  
Scribere digne?

Ora si centum, totidemq; lingue,  
Si mihi Virtus Heliconis esset,  
Non tamen dignas meritis referrem

Carmine grates.

Attua, Virgo, bonitate fretus,  
Hac die totum celebri per orbem,  
Intuum cultum, celebresq; honores

Ora resoluam.

Tu Deum nostras genuisti in oras,  
Latte pauiisti, dederat secundas

Cui

Cui pater partes, scelus expiandi  
Sanguine nostrum.

Ad sacras aras hodie reposum  
Pignus, & charum pretium salutis  
Gentis humanae, superum satori

Rite tulisti.

Ante tu supplex solium coruscum  
Patris, excusas maculas nefandas,  
Actuis blandis precibus retardas

Fulmina Nati.

Flectis offensum vitijs Tonantem,  
Mitigas iram superum Parentis,  
Tu vocas omnes homines, ut alta

Sydera scandant.

Iam diu inferni hominum propago,  
Totus & Mundus perijset vndis,  
Ni tua aeterna prece liberasses

Pignora morte.

Post Deum nobis columen salutis,  
Asperis tuis dubijsq; rebus,  
Mitibus nostros miserans labores,

Tristia mucas.

Perdis infestas furias, & hostes  
Sanguinis nostri cupidos repellis:  
Protegis puros, trepidos reosq;

Robore firmis.

Alma per se pax dominatur omni  
Orbe terrarum, viget otiumq;

Mars tibi cedit ferus, & cruenta

Arma quiescunt.

Territæ mox te stygia Phalanges,  
Atq; Plutonis fugiunt cohortes,  
Tu fugans manes, stygiæ paludis

Atria vastas.

Integrali puppim rapidas per vndas  
Dicit, & remis, duce te, gubernat,  
Obtinet fœlix, alacerq; portum

Nauta petuum:

Nostra siquando ratis à marinis  
Fluctibus, ventisq; agitatur Austris,  
Stella mox nobis ibi tu Maria

Lata refuges:

Per mare optatas alacres ad oras  
Tendimus, Syrtes scopulosq; Scyllæ  
Naue vitantes, fugimusq; taram

Sæpe Charybdim.

Sola nam portus pauidis quietus  
Nauitis es, tu miseriis colonis  
Pax, salus & persiguum vocant

Rebus in arctis.

Teviam carpit socia viator,  
Atque iter tutum per inhospitalem  
Caucasum, vel quæ loca mortuorum

Oribus alberat.

Diua, tu nobis timidis es Ara,  
Robur & Turris, tenebris in atris  
Clara lux mundi, radiansq; stella  
Prævia cæcis.

Impo-

Impotens linguae, veniens precatum,  
Ut tuas possit resonare laudes,  
Gratus humanae referens recedit

*Munera vocis.*

Lenis exaudis ope destitutos  
Artuum summis tenebris, & imis  
Liberas umbris, bene te iuuante

*Surdus & audit.*

Pandis & tutum miseris asylum  
Rebus in duris, neq<sup>z</sup> derelinquis,  
Qui tuum nomen reverentur, atq<sup>z</sup>

*Laudibus ornant.*

Oppidum nostrum tibi singulari  
Deditum cultu, foueas sub alis,  
Ne lues, pestis, vitiumq<sup>z</sup> morum

*In quinet ipsum.*

Finibus depelle inimica nostris  
Tela, vim, ferrum, maciem febrimq<sup>z</sup>,  
Spumeos rictus inbibe Leonum,

*Perde Dracones.*

Posce tu nobis Sobolis fauorem,  
Dapium, noxis animumq<sup>z</sup> purum,  
Purius pectus niteat recocto

*Ignibus auro.*

Et viam Vite reserabatæ,  
Vinculis duris animus solutus  
Noster, ut tandem teneat supremar<sup>z</sup>  
*Aetheris arces.*

SIMEON AD DEVVM ET VIRGLI-  
NEM MARIAM.



Ttulerat Virgo, sancto comitata Marito,  
Ad Templum, Natum, properat stibundus ad edes

Cùn canus SIMEON longo Venerabilis aeo,

Cepit & hoc carmen vultu cantare sereno.

Da Genitor Vitæ finem, velut ante locutus

Longe uero fueras spem nostræ namq; salutis

Vidimus his oculis, his sustentauimus ulnis,

Inmensam reserat lucem, populiq; sub ora

Mittis, ut obscuras cœlesti lumine Gentes

Clarificet, crescatq; tua noua gloria plebi.

Tum Matri conuersus ait; sanctissima Mater,

Infantis nati secuit qui mollia membra,

Hic idem gladius pariter præcordia tanget

Virgo tua, & flebis plusquam fluvore sorores

Hectora Troianum: raptam à Plutone sub umbras

Alma Ceres fleuit Niam, non conscis furti.

Tanta feras animo clementi, Virgo pudica,

Mercibus his emitur cœlum, Regniq; corona,

Sydercos inter proceres, sanctumq; senatum,

Non ill. c solum, at i o n e veneraberis orbe.





EPIGRAMMA.  
DE EODEM FESTO  
AD MAGNAM MATREM VIRGINEM.

Non hæc Virgo tibi, nobis lustratio confert,  
Ut sumus impuri, candida tota nites.  
Tu rosa cælestem, Virgo, quæ spirat odorem,  
Spinæ fæminei cætera turba Gregis.

FINIS.  
DEO OPT. MAX. SÆCVLORVM  
OMNIVM REGI LAVS ET GLORIA.



ΕΙΔΟΜΑΤΑ  
ΔΙΕΘΝΕΣ ΕΠΙΣΤΗΜΟΝΙΚΟΥ  
ΙΔΙΟΜΟΝΙΚΟΥ ΑΙΓΑΙΟΝ

Λινία  
ΔΕΩΤΗ ΜΑΧ ή ΔΙΟΛΟΡΑΜ  
ΟΜΗΡΙΑΝ ΗΡΩΙΑΝ ΠΛΑΣ ή ΓΡΟΥΓΙΑ



AMMADIS  
DE BODEMUS  
MELTUM VITRINUM  
OMNIA TIBI PLATE ET CROTA  
EGO OPTIMAK SED OVALVM



DEO QVI DNI MATER CORDVM  
OMNIA IN VITAE TUA ET CROTA.